

J. N. D. N. I. C.  
DISPUTATIO ETHICA  
*De*  
PRINCIPIIS ACTIO-  
NUM MORALIUM

Quam  
*Ex consensu & suffragio Amplissimæ  
Facultatis Philosophicæ in Regia  
Aboënsi Academia*

SUB PRÆSIDIO  
PRÆCLARISSIMI VIRI.

DN. M. AXELII Kämpes/  
Philosophiæ Practicæ & Histor.  
Professoris ordinarij Celeberrimi,  
Præceptoris ac Promotoris omni  
observantiz genere æternum colendi.

Pro summis in Philosophia honoribus & pris  
vilegijs consequendis modestè Erudito-  
rum censuræ subiicit.

ERICUS E. FALANDER.  
Ad diem 2. Decemb. Anni 1665 in Auditorio  
superiori & maximo, horis solitis.

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO A. T.  
Zacharias Dahl.

S. R. M. tis

REGNIQ; SVECIÆ  
SENATORIBUS  
REGII, IN MAGNO DUCATU  
FINLANDIÆ, IUDICII  
PRÆSIDI ET CONSILIARIIS  
PERILLUSTRIB; ac GENEROSISSIMIS;  
**DN. ERICO Sparre/ Lib.**

Baroni de Cronebergh / Domino  
de Hoffrönö & Däderöö &c.

**DN. HENRICO Horn/**

Lib. Bar. de Marienborg Dn. de  
Wenden/ Warsala & Ingeriz &c.

**DN. LAURENTIO Creüz lib.**

Bar. de Cassariz. Dn. de Sarfvelax  
Abborfors & Liuxela &c.

*Dominis suis Clementissimis*  
U T E T

GENEROSIS, Nobiliss. ac Consultiss.

**DN. Vice PRÆSIDI, ac Dominis AS-**  
**SESSORIBUS prædicti Regij Judicij**

*Patronis ac Promotoribus magnis*

Præsens hoc exercitium Academicum  
Summâ animi subjectione  
offert

T.

E. Fal,

Per Illustrē & Generosissimi Barones, Domini Clementissimi.  
Generosi, Nobiliss. & Consultissimi  
Domini, Patroni ac Promotores  
magni

**M**irahuntur procul dubio Per Illustrē Ex-cell. & V. & Regiumq; hoc Iudicium,  
quod ego, clientum minimus, Celsis Per-  
Ill. um Excell. um V. um Regijq; hujus Iudicij  
nominibus, tenuerat has inscribere pagellas mihi  
præsumam. Magnos enim magna decere non  
ignoro scioq; majora longè Per Ill. bus Ex-  
cell. ijs Vris Regioq; huic Iudicio curae esse,  
utpotè quorum humeris grave istud Iusti-  
tiae onus & arduum, in Boreali hac orbis  
plaga, incumbit, quam ut ad legendas no-  
stras tenuitates se demittant Per Ill. es Ex-  
cell. & V. & Regiumq; hoc Iudicium. Sed  
solitā Per Ill. um Excell. rum V. rum Regijq;  
hujus Iudicij, Clementia erectæ he pagellæ,  
in conspectum Per Ill. um Excell. um V. rum Re-  
gijq; hujus Iudicij progredi audacter, ar-  
dent. Quas enim artes Per Ill. es Excell.  
V. & Regiumq; hoc Iudicium coluere semper,  
barum cultorum non poterunt non esse a-  
mante.

mantes. Dent idcirco Per Ill. es Excell. et V. et  
Regiumq; hoc Iudicium audacie huic hanc  
veniam; Aspiciant sereno ac Clementi vula-  
tu chartaceum hoc munusculum, quod ad  
pedes Per Ill. um Excell. rum V. rum Regijq; hu-  
jus Iudicij, qua par est subjectione, depono;  
Annumerent Per Ill. res Excell. et V. et Regiumq;  
hoc Iudicium vel minimis suis me clienti-  
bus, quo vel unico hoc Clementia Vestra  
beer radio. Nos Per Ill. um Excell. rum V. rum  
Regijq; hujus Iudicij Clementiam latè per  
orbem portabimus, dicemusq; posteris, ut  
consequentium seculorum memoria sciat,  
cuius stellæ sumus, cui soli lucem debeamus;  
Deumq; rogabimus, ut Per Ill. res Excell. as V. as  
Regiumq; hoc Iudicium Patriæ fulcro &  
ornamento, justitiae decori, ad seram usq; po-  
steritatem servet in columnas. Sic precari  
non desistam, qui sum.

Per Ill. um Excell. rum V. rum

Regijq; hujus judicij

Subjectissimus

Cliens

E. FALANDER,

IN NOMINE S. S. ET INDIVIDUÆ  
TRINITATIS.

INTROITUS.

**S**Hilosophiæ illam par-  
tem dum inspicio,  
quæ Moralis vulgò  
audit, quamq; animi  
medicinam recteq; vivendi di-  
sciplinam passim nominat Ci-  
cero, in cuius laudes descendere  
hic instituti non est mei,  
cùm viño vendibili suspensâ he-  
derâ non sit opus, varia inibi,  
jucunditate pariter ac utilitate  
plenissima, ingenuoq; dignissima  
ingenio, sese offerunt mihi. In-  
ter hæc vero, doctrina de acti-  
onum humanarum principijs,  
maximè digna visa, in quâ, quod  
in me est tenuis ingenij hac vice

A

exerceſ,

exercerem. Non quod mihi  
præsumam, mearum esse viri-  
um accurate totam hanc trade-  
re, est enim res non parvæ dif-  
ficultatis: Sed ut mandato Am-  
plissimæ Facultatis Philosophicæ,  
Constitutionibusq; obtemperem  
Academicis. Placet itaq;, habi-  
ta ratione temporis & instituti,  
nonnulla prædictæ doctrinæ mo-  
menta excerpere, eaq; publicæ  
disquisitioni submittere. Tu in-  
terim Lector benevole, candi-  
dè omnia interpretare.

### THESES I.

De principijs moralium actio-  
num nos acturos pollicebamur; cùm  
verò actiones duplicis sint generis,  
*Interiores* & *exteriores*, harum princi-  
pia recensebimus, utpote quæ in lu-  
cem exeunt & oculis hominum su-  
bijciuntur. Sed nec hæ unius ge-  
neris;

geiteris; sunt enim, prout ab Ethicis docetur & Ictis, *invitæ aliæ*, aliæ *Spontaneæ*, Mixtas, vel sola hac ratione, quod actiones Morales secundum circumstantias potius quam substantiam æstimandæ sint, ad Spontaneas referimus, nos vero de spontearum solùm actionum principijs hic inquiremus. Sunt namq; illæ, *invitæ* sc. moraliter nec bonæ nec malæ, cum omnis actionum bonitas ac malitia, moralis neimpè, (de transcendentali ista bonitate jam non sermo,) ab animo æstimanda sit, non ab opere aut eventu. Actiones præterea, quæ in Ethicis spectantur, vel laus vel vituperium, præmium vel pœna sequitur, quod tamen de invitatis, quâ talibus, asseverare vix possumus. Solas ergo spontaneas actiones considerationis esse Ethicæ directè, cum Burgersdicio statuimus.

## THESES II.

Harum autem Principia actiones sunt elicitor. Quæ vel ad eam ani-

inæ partem pertinent, quæ per se ratione prædita est, & vel ad intellectum, puta practicum, spectant, vel voluntatem: vel ad eam, quæ cum sua naturâ expers rationis est, aliquo tamen modo rationis fit particeps, quæ pars appetitus est sensitivus, & sunt hæc *principia* sc.  $\alpha\acute{\alpha}\vartheta\eta$  seu affectus, qui à nobis, non nisi quatenus in homine reperiuntur, considerantur, & id quidem hic non quatenus materialiter & per corporea organa se se exerunt, vel in animæ facultate nudè consistunt, quomodo Physicæ sunt considerationis, sed quatenus ex his, absq; prævia deliberatione & proposito antecedente resultant actiones.

### THESIS III.

Elicitas istas actiones, quas principia appellamus, quæ ad rationalem animæ partem spectant, cum Præclariss. Dn. Præside tres esse statuimus. Consultationem, Electionem & volitionem seu voluntatem, quæ tamen

tamen vox (voluntatis puta) non actum primum ipsam volendi durauit, sed actum secundum & *eternitatem* denotat. Sententiæ actionum humarum principia, *Libertatis arbitrij additione* augentium ut subscribamus impellentes non vidimus rationes. Nam quamvis dicant, voluntatis esse appetere bonum, libertatis posse eligere vel non eligere, hæc tamen duo indissolubili cohærent nexu, liberum enim arbitrium nihil aliud est, quam modus quidam ipsius voluntatis, seu ipsa voluntas libera. Quare apparuit voluntatem & libertatem voluntatis realiter inter se non distingui, licet operâ mentis nostræ concipi possit voluntas ut compositum ex subjecto & adjuncto, ex suo materiali & formali: illud est potentia, hoc potentia libertas, ut eruditè differit Praclariss. Præses Eth. c. 2.

#### THESES IV.

Numerum hunc principiorum augent adhuc nonnulli *additione scientia*, de

de quo sententiam nostram sequentibus explicabimus. Voluntatem quidem nihil velle aut appetere, sit nisi illud prius ab intellectu cognitum ipsiq; monstratum, largimur ultrò, sed an ideo *scientia* peculiare sit principium, est de quo dubitamus. Dicimus ergo intellectus Iudicium ut antecedens requiri, causam verò & principium esse negamus. Nam (1) non temerè augendus principiorum numerus. (2) non omne quod actionem antecedit, ejus mox est principium, cùm aliud sit requisitum, aliud principium. (3) si scientia actionum nostrarum esset principium, sequeretur voluntatem liberè quid non appetere, quod absurdum. Quod si contrarium cui placuerit statuere, per nos licebit, sufficit nobis innovatorum nomen modestè effugere.

### THESIS V.

Iam ergo quid nostra sint principia explicabimus. *Consultatio est ratiocinatio de medijs, quibus ad finem*

*nem pervenitur.* Consultatio mediorum tantum est, non finis. Finis enim habet rationem *b*oni**, & est per se expetibilis & naturalis, ut non possit eum agens nolle, nec opus habeat ulla consultatione, loquendo de fine ultimo. Intellectus hic media non solum cognoscit & voluntati proponit, ne feratur in incognitum, sed ea etiam inter se comparat, & alia alijs præfert. hæc intellectus actio ratiocinatio ista est, quam *B*al*e*s*o*r**, seu consultationem hic appellamus.

## THESES VI.

Finitam consultationem *Electio*, ut filia matrem, sequitur, quæ est *appetitio premeditata eorum*, quæ a nobis fieri possunt. De ijs enim, quæ in nostra potestate non sunt, ut nemo consultat aut consilium capit, sic & nemo ea eligit, sit nisi fatuus. At cùm idem sit consultationis ac electionis objectum, media scilicet, *consultatio ab electione*, "prout nec hæc

hæc ab illa, jam non differet. Sed quamvis utraq, harum circa media versetur, alio tamen modo media sunt consultationis, alio Electionis objectum. Consultationis objectum incertum, Electionis definitum est & certum, utpotè cùm voluntas cōmodiora liberè amplectitur, ubi manifestum maximè cernere licet Consultationis ab Electione discrimen; quamvis etiam præterea distinguantur (1) subjecto, illa facultatis cognoscentis & intellectus, hæc appetētis seu voluntatis est. (2) Tempore, illa præcedit, hæc sequitur.

## THESES VII.

Volitionem, præter supra tractata duo, principium esse actionum humanarum tám est certum, ut de eo ambigere facile quis non possit. Quod verò nos ultimo loco agamus de volitione, quæ tamen primo videtur ponenda fuisse, speramus nobis veniam dari, cùm utrumq; salvari possit, pro diversa volitionis consideratione.

Quate-

Quatenus enim finem solum respicit, primo potest collocari loco, prout vero media etiam, & ulterius adhuc corporis membra commovet ad consequendum finem propositum, non immerito consultationem & electionem sequitur. Est autem *volitio boni cum rectâ ratione appetitio*.

Velut consultatio media tantum respicit, sic volitio praecipue finem, licet & media, sed secundariò, propter finem scilicet, velit. Fertur a. voluntas in finem, non quidem sine prævio judicio, nihil enim voluntas appetere aut aversari potest, quod intellectus prius ipsi non monstravit, *supr. th. 4.* Sed tamen sine prævia deliberatione. Cum ergo judicium intellectus practici vel *Absolutum* sit, quod res in se, ac sua natura considerat, & decernit quid bonum sit, quid malum, vel *Comparatum*, quod res cum alijs rebus ac circumstantijs comparat, & decernit, quid melius sit quid deterius, unde apparet intellectum absolutè aliquid

iquid judicare posse bonum, quod  
cum alijs collatum judicat esse ma-  
lum, & contra, ut in mercatore, ob-  
ortâ tempestate, merces ejacente, &  
patre familias unum ædificium, me-  
tu majoris incendij, diruente, res est  
planissima, sequitur Comparatum in-  
tellectus judicium perfectius esse ab-  
soluto.

### THESES VIII.

Promiscuè quidem termini hi  
*voluntarium* & *spontaneum*, ut idem  
significantes usurpantur, quod ex  
communibus loquendi formulis est  
manifestum, in quibus significationis  
nulla appetit diversitas. Accuratus  
tamen loquendo, sequens inter hos  
intercedit discriminus. Voluntas ho-  
mini naturalis est & propria, sponta-  
neum etiam certo respectu brutis &  
infantibus competit. Nonnulla et-  
iam sponte fiunt, quæ sola animi cu-  
piditate fiunt, reluctante interim vo-  
luntate, quod videre est non solum  
in incontinentie, sed & alijs quibus

contingit illud Medeæ: video meliora  
proboḡ, deteriora sequor. Quorum p̄t̄is  
Eis spontaneæ quidem sunt, voluntariæ tamen dici non merentur.

### THESES IX.

Actum hactenus de principijs actionum spontearum, quæ ad rationalem animæ partem spectant: agendum jam breviter in hac thesi de ijs, quæ ad partem naturâ sua rationis expertem pertinent, non enim sufficiunt priora ista tria, ad constitendum perfectum principiorum numerum, prout ex superiori Thesi colligere licet, & sequentia ulterius probabunt. sunt verò principia hæc affectus, quorum sedes appetitus est sensitivus, quem supra partem animæ rationis expertem diximus. Esse a. affectus principia patet; quia multa affectibus abrepti agunt homines, quarum actionum principia sunt sine dubio affectus. De his a. nostrum erat hic loci esse sollicitos, actionum enim spontearum principia nos tradituros

dituros initio hujus disputationis pol-  
licebamur, at tales esse  $\pi\varrho\acute{\alpha}\xi\epsilon\omega\tau$  istas  
nemo ibit inficias. Quod si  $\pi\acute{\alpha}\vartheta\gamma$  ra-  
tionis fræno cohibentur, jam actio-  
num nostrarum instrumenta potius  
sunt quam principia. Tantum de af-  
fectibus, scientificâ eorum tractatione.  
Physicis relictâ.

## THESES X.

Actionum ergo nostrarum princi-  
pia sunt  $\epsilon\varphi\eta\mu\pi\tau$ , in nostra potestate;  
quod si secus res se haberet, jam o-  
mne virtutis studium esset frustrane-  
um, frustraneæ admonitiones omnes,  
frustranea essent præcepta, 'at hoc  
eorum nemo, quibus quid est sanæ  
mentis, affirmare ausus fuit unquam.  
Cum quorum principia in nostra sunt  
potestate, ea etiam ipsa in nostra sint  
potestate, & vicissim, quæ in nostra  
sunt potestate, eorum etiam principia  
in nostra erunt potestate. Prout ita-  
què  $\tau\ddot{\omega}\tau$   $\pi\varrho\acute{\alpha}\xi\epsilon\omega\tau$ , sic & principiorū  
sumus Domini. Est enim homo ve-

ræ rationis particeps, E. & voluntatis,  
& per conseq. principiorum actionum  
humanarum. Præterea si homo per propriam suam naturam con-  
sultat, deliberat, consilium suum mutat, improbos damnat &c. erit etiam  
particeps principiorum actionum hu-  
manarum. At antecedens est verum  
E. & consequens. Stabilimus insu-  
per thesin nostram effato Jehovæ,  
Gen. 4. sub te erit appetitus & tu do-  
minaberis ipsi. Nemo a. nos hic pu-  
tet rerum spiritualium ullam facere  
mentionem. Ad astra recurrentibus,  
præter tritum illud, *astra inclinant*  
*non necessitant*, hoc opponimus: a-  
stra causæ sunt universales, quæ par-  
ticulares effectus determinare non po-  
sunt; Nec agunt astra directè in vo-  
luntatem hominis. Temperamen-  
tum corporis actionum esse princi-  
pium asserentibus, iterum distinc-  
tionem inter inclinationem & habitum  
opponimus, experientiamq; hic pro-  
vocamus testimoniū, quæ validè nostras

tuetur

tuetur partes. Plures enim eodem  
temperamento, diversimodè vide-  
mus affectos, hosq; virtuti, vitijs illos  
deditos esse, quod fieri non posset,  
nisi principia actionum in eorum es-  
sent potestate. Stoicorum sententia  
fato omnia subiectentium jam explo-  
sa est dudum. Addimus ergo ulti-  
mò, harum sententiārum ne ullam  
quidem cum libertate arbitrij consi-  
stere posse, at *αὐτεξέστων* esse homi-  
nem simpliciter necessarium est. Du-  
orum enim alterutrum oportuit:  
aut rationis expertem esse hominē, aut  
si ratione sit præditus, liberū habere  
arbitrium, ut loquitur Burgers. su-  
pra, confer Th. 3. Quod si jam prin-  
cipia & ipsæ *πράξεις*, ut dictum est,  
in nostra sunt potestate, erunt &  
hinc resultantes habitus. Atq; hæc  
erant, quæ candido tuo judicio, Le-  
ctor benevole, subiçere hac vice,  
habuimus in animo. Deus T. O. M.  
studia omnium nostrū in sanctissi-  
mi sui nominis gloriam, Patriæ u-  
fus

sus & Academiæ nostræ decus dirigit,  
cui cum filio & Spiritu Sancto  
sit laus, honor & gloria in non  
terminanda secula!

---

*In Eruditam & Inauguralem dissertationem  
Viri Iuvenis Prastantiss. & Politiss.*

DN. ERICI ERICI FALANDRI,  
Philosophiæ Candidati meritissimi,  
de principijs actionum Moralium acutè differen-  
tis, Patriotæ & amici sincere dilecti,

*terras*

**A**lmæ virtutis genetrix est *Actio cre-  
bra*,

Est itidem fructus *Actio clara boni*.  
Non est vita beata, caret quæ motib⁹ istis,

Mors hominis citiūs, vita vocāda sicut.  
Immortale puto est, lequeris quod doce

F A L A N D E R ,

Vita probata bovis, ingeniosa probè.  
Eximias dotes probat hæc satis *actio præ-  
salvus vivas, & redeasq; simul!* (Iens,

Amicā mente & manu depropes-  
ratum ab

A X E L I O Kempe Pol. & His.  
Prof. P.

Ad Dn. Candidatum Fratrem amiciss-

Sermone non potest terminari quantâ me  
Sufficiat voluptate, quod Tuam eximiam  
virtutem laboremq; improbum, sequatur de-  
cus, non gemmis nec pupurâ venale. Non  
tu in inertie latitasbas sepulcro; in sapien-  
tiae Olympis certabas firenuè. Non aurum  
summi materiam mali ardebas: Eruditi-  
onem & virtutem veras legebas opes,  
quas nec imber edax, nec aquilo impotens  
ruere potest. Non Te atate tenerâ tur-  
pium cupiditatum tenebat libido: Musis ju-  
veniles annos haud infelix litabas va-  
tes Ultimò virtutis nunquam viam deserebas  
ardua, quâ Te deduxit fax honestæ mentis  
gloria, senectutis nescia. Nunc ergo,  
quæ sudoris sequitur noctem, aspice honoris  
auroram, opera quæ refert q; labores, la-  
titiae q; solatij aspice meridiem. Aspice  
obturatum invidis os lividum, ad properas  
tas Parentibus q; amicis gaudiorum ferias  
q; gratulationum solemnia, Tibi deniq; ipsi  
uberem fructum laboris, jucundamq; in-  
dustriæ collectam propera messem. Facit  
hic tua manipulus felicitatis animum in

vota scintillare meum: Beet eum amplius  
Deus omnis prosperitatis, ut in cumulum ac-  
crescat! Vivas diu! Vivas felix plus vi-  
ce simplici! Intaminatis fulgeas honoribus  
quos nec innumerabilis annorum series nec  
fuga temporum nec vorax consumet vetu-  
stas. Vale!

GABRIEL TAMMELINUS.

---

**Q**uid in hoc aeo, mortalis criminis vi-  
vunt, id faciet vita beata reor, (tis  
Sed nisi mortales ratio moderabitur atsus  
Hujus vix fiet copia certa tibi,  
Ergo sanctorum tua nunc Electio rerum  
Consiliumq; petas, cujus & dignus bonos.  
Non alias probitas, genuina laude triumphet  
Actio vel repetet præmia digna sibi.  
Nec sic virtutum temones cæca voluntas  
Transiliet, quin sit, quem moderatur opus.  
Ergo tuis spectata pijs stent præmia misis  
Eximijs patris docta propago tui.  
Hac tua suada docet; tibi sunt capsula mē-  
Actio queis terris nostra probata cluat. (tis  
Sic decet Aonijs hastam vibrasse palæstris  
Austibus ut redeant aurea ferta suis.

*Quæ satis est Patriæ, Patriq; tibiq; vidisse  
Aptari doctis, splendidiora comis,  
Sic sapientis erunt animi, sed laude triumphi  
In decus erecti, quo speciosus ades.*

*Atq; ita luxurians, magnorum credo favore  
Indignus non es qui videare, Vale*

*â Tuo qui hæc læto affectu, & pro ne-  
cessitudinis nostræ debito appos-  
suit.*

## JOSEPHO MATHESIO

---

**M**agnos profectò & longè hone-  
stissimos optimorum studiorum  
fructus illi ante alios in hac vitâ con-  
seqvuntur, qui omnes ingenij nervos  
in hoc intendunt unicè, quo & pro-  
delle bonis ingenuo labore possint,  
& eruditionis suæ memoriam præcla-  
ro literarum testimonio posteris com-  
mendare. Horum longè præ ijs ce-  
lebritas est, qui quidem ad eruditio-  
nem maxima tollentes vota, ratio-  
nem ejus consequendæ nescientes, vel  
nimia persuasione sui in medio cur-

su

su subsistunt, vel omnibus uno ore in  
hiantes multa sibi proponunt, pauca  
consequuntur, peregrinantibus si-  
miles, quibus hoc evenit ut multa  
hospitia habeant, nullas amicitias: i-  
dem accidit his, qui dum omnia cur-  
sim transmittunt, nihil solidi sibi  
comparant, quo fit ut raro ad do-  
ctrinæ decus assurgant, verumq;  
studiorum fructum sentiant exigu-  
um. Hæc fatis studiorum tuorum  
Eruditissime FALANDER prætexen-  
da sensui, quorum aliam longè Te  
inijisse rationem eventus desideria  
multorum implens liquidò probat.  
Naturæ enim ingenijq; adjutus felici-  
tate, his remis sedulam industria-  
m addere non ignavus fuisti, hære-  
ditates multorum bibliothecas evol-  
vens. Non ut instar canis trans  
Nilum sitim irritares, sed magnos  
congeminans haustus ut eratione  
non vulgari fibræ ditescerent. Per-  
scrutando igitur ea facta est sagina  
ut emensis Philosophiæ spatiosis cam-  
pis

pis Laureæ proximam spem occupies,  
Patriæ , parentum atq; amicorum  
vota longūm sperata expleturus. Ma-  
cte igitur novis his titulis amicorum  
mellitissime, quos tibi industria ac-  
quisivit, virtus commeruit. Fruere  
ingenio & fortunā quo Patriæ elu-  
ceas non ignobile sydus. Vale

## GABRIEL FORTELIUS

---

**S**i studijs dat certa pijs perdocta Minerva  
Præmia; cur cesset reddere digna tibi?  
Quod, labor ergo tuus vigilatæ & tædia no-  
nne capem: frater, promeruere decq. (etis  
Sic prostant Patri, prostant domuiq; paternæ  
Gaudia, quæ nullo sunt moritura die.

Ita studijs Domini fratri sui, licet debili  
svada, gratulabam.

JOHANNES E. FALANDER.

